

les, et fluent ad eum gentes, et ibunt populi multi et dicent: venite et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas et ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exhibet lex et verbum Domini de Jerusalem, et rursum c. XIV. non minus illustre edidit vaticinium de gentibus per Messiam ad veri Dei cutum vocandis: Ecce testem populis dedi eum, ducem et praeceptorem gentibus. Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis, et gentes, que te non cognoverunt, ad te current; et haec ex multis que in hanc rem congeri possent, cum agatur de re exploratissima.

Porro sicut extra omnem dubitationis aleam gentium vocatio ad veri numinis cultum per futurum Messiam constituta est, ita nec minus clara vaticinia sunt, quae populi iudaici ac synagogae rejectionem et dispersionem portendunt, et quidem in penam repudiat Messiae. Danielis enim IX. 26. praediciter: post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est (a); atque ante ipsum Isaías VIII. 14. loquens de Messia: Et erit, inquit, vobis in sanctificationem; in lapidem autem offendit, et in petram scandali duabus dominibus Israel; in laqueum et in ruinam habitantium Jerusalem. Et offendit ex eis plurimi, et cadent, et conterentur, et irretinent et capientur (b).

(a) In hebraico textu et non ei ellipsis supplendam esse omnes veteres interpres viderunt. Porro ellipses locum non habent nisi in notionibus et dictiōibus frequentiori usu tritis, quas lector ex usu loquendi familiares habet et facile suppleret potest. Hic autem alia esse non potest nisi *populus* juxta usitatissimam phrasin in scriptura receptam: eritis mihi *populus*, vel in *populum*; non eritis mihi *populus*, non erit ei vel *ejus populus*. Deut. IV. 20. VII. 6. XIV. 2. XXIX. 13. XXVI. 48. XXVIII. 9. Ex. VI. 7. Lev. XXVI. 42. I. Reg. XII. 22. II. Reg. VII. 25. IV. Reg. XI. 17. etc. Igitur post non erit ei vel illius supplendum est *populus*, ut olim jam vulgatus vertit: et non erit ejus populus, ita ut sensus sit: jam populus non erit sacer ei, qui Urbem et templum evertet; cum ex nece illata Messiae cesset Israel constituere ejus hereditatem; huic autem cessationi dominii ejus super populum fœderis necetur optime destructio Urbis et sanctuariorum per populum principis venientes. Ex quo refellitur Rosenmüller, qui haec verba et non ei exponit: et non erit sibi id est *inter viventes*, ut pariter exposuit Michaelis; etenim *¶* nonnumquam includit in se personam ipse non est, sed non est tantummodo, Reliquæ expositiones nempe Gousset, Empereur, Sack etc. magis adhuc absurdæ sunt et gratis confitæ. Cf. Hengstenberg. t. II. p. 474. vid. etiam Iahn l. c. p. 149. seqq.

(b) Hunc locum de Messia, qui vindictam esset sumptus de populo iudaicito veteres quoque Hebrai intellexerunt. Sic enim apud Martini p. 345. ed. c. in lib. Sanhedrin cap. *echad* legitur: dixerunt (RR. Jehudah et Ezechias filii R. Chia): Non veniet filius David donec deleanorat duo dominus patrum Israel; et iste sunt caput captivitatis Babylonis: et princeps, qui est in terra Israel, sicut dictum est Is. VIII. et erit ad sanctificationem et ad lapidem offendit, et ad petram vel rupem ruinæ duabus dominibus Israel etc. Glossa R. Salomonis. Et erit Salvador Israel ad preparationem et ad lapidem offendit enim pedes statuæ, ferrum sciæt et testam et ad rupem ruinæ dominibus duabus

Osee autem III. 4. diu duraturam hanc populi iudaici reprobationem significat illis verbis: Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod et sine theraphim. Et post haec revertentur filii Israel, et querent Dominum Deum suum, et David regem suum: et pavebunt ad Dominum, et ad bonum ejus in novissimo diērum; quibus verbis aperte propheta diuturnam populi iudaiciti conditionem designat in qua etsi deos alienos non colat, tamen Deum non experietur sibi faventem atque propitium donec aliquando Messiam querat et agnoscat; Davidis enim nomine Osee perinde ac ceteros prophetas Jerem. XXX. 9. Ezech. XXXIV. 23. XXXVII. 24. Messiam significare explorata res est et recepta sententia apud Rabbinos omnes: quare chaldaeus interpres postrema prophetæ verba ita exponit: Querent cultum Domini Dei sui, atque obediunt Messiae filio Davidis regi suo (a); eadem habet Amos. IX. 9. seqq. et alii prophetæ passim (b).

Jam vero ab octodecim seculis tum gentes fere omnes relictis idolis Deum unum colere, atque in dies ad cognitionem et cultum veri Dei perduci, iudaicam gentem item e sua ejectam patria inter gentes omnes dispersam esse, nullumque apud eam illius specialis providentiae et prædilectionis vestigium conspici quibus per tot secula Deus eam prosecutus fuerat, facta sunt certissima, quorum nos spectatores sumus, que ob oculos nostros observantur. Quæ quidem argumento sunt foedus illud omnino esse abolitum quod olim Deus cum iudaico populo ferit de possessione Palæstina ac bonorum omnium in ea affluentia si ipse legem sibi traditam custodivisset, vel de paterna correptione quoties ab ejusdem legis observantia descivisset, dum promisit se eum in eandem revocaturum, quoties ipsum suæ transgressionis pœnituisse, prout tam in Exodo, quam in Deuteronomio passim legitur.

Hinc merito Hieronymus Ep. CXXIX. ad Dardanum n. 7. sic Judeos perstringit: Multa, Judei, scelera comisisti, cunctis circa te servisti nationibus. Ob quod facinus? Utique propter idolatriam. Quumque servisses crebro, misertus tui est Deus, et misit judices et salvatores, qui te... liberarunt. Novissime sub regibus offendisti Deum, et omnis tua provincia, gente babylonica vastante, delata est. Per septuaginta annos templi solitudo permanit... ad extremum sub Vespasiano et Tito Urbs capta, templumque subversum est. Deinde civitatis usque ad Hadrianum principem per quinquaginta Israel. Dixit (Rabbinus scilicet, qui fecerat vinum dari pueris ut secreta patris sui, atque mysteria revelarent) filioli spinæ milii estis in oculis meis, seu: spinas in oculis meos injecitis.

(a) Alia testimonia in hanc rem cf. apud Rosenmüller in l. c. Ezech.

(b) Cf. in h. l. Sanctum nec non Ackermann op. c. plura preterea in hanc sententiam ex doctrina et sensu veterum Judæorum vid. apud Martini II. P. V. §. 2. seqq. et apud Schoettgen. de Messia p. 545. seqq.

annos mansere reliquiæ. Post eversionem templi paulo minus per quadringentos annos et Urbis et tempii ruinae permanent. Ob quod tantum facinus? Certe non colis idola, sed etiam serviens persis atque romanis, et captivitatis pressus jugo, ignorans alienos deos. Quomodo clementissimus quondam Deus, qui numquam tui oblitus est, nunc per tanta spatia temporum miseriis tuis non adducitur, ut solvat captivitatem?... ob quod, inquam, facinus et tam execrabilis seclus avertit a te oculos suos? Ignoras? Memento vocis parentum tuorum, *Sanguis ejus super nos et super filios nostros*. Et non habemus regem nisi Cæsarem. Habes quod elegisti, usque ad finem mundi serviturus es Cæsari, donec gentium introeat plenitudo, et sic omnis Israel salvis fiat (a); quod quidem argumentum, cui novum in dies robur accedit et quod ineluctabile plane est, ex recentioribus luculententer evolvit Grotius lib. V. de veritate religionis Christ. §. 16. ubi nihil omisit ex iis, quæ eidem vim addere posse viderentur.

## DIFFICULTATES.

I. Obj. Nullum in primis est argumentum quod ex Malachia vaticinio deducitur, 1. siquidem nulla alia ratione Deus *magnum nomen suum in gentibus* esse dicit, quam quod gentes omnes præter Deos suos supremum Deum colant, qui est Israelitarum Deus; prout exponunt R. Salomon Jarchi ac David Kimchi; vel etiam eo quod, ut existimat Aben Ezra, si Deus gentes jussisset offerre sibi munus aut sacrificium, illud purum et exquisitum offerrent, minime vero hostias mutilas ac languidas quales Judæi offerebant; vel denique quia iucundissimæ Deo sunt preces, et laudes, quibus Judæi inter gentes commorantes ipsum venerantur. 2. Sane, inquit, quomodo mosaica sacrificia, ac proinde legem et sacerdotium abroganda esse affirmare potuisse propheta; qui cap. III. 4. de levitis ait: Et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia. Et placebit Domino sacrificium Iudei et Jerusalēm, sicut dies seculi, et sicut anni antiqui? ac demum c. IV. 4. Judeos alloquens mementote, ait, legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel, præcepta et iudicia. Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Ergo.

R. N. A. Ad 1. prob. seu Rabbinorum expositiones dicimus eas prorsus excludi ab antithesi a propheta inducta inter sacrificia mosaica, et sacrificium illud quod divino numini offerendum prædictetur inter gentes, ut ex probationibus constat: dixi prædictitur; notum enim est non esse locutum prophetam in presenti tempore, quo universæ gentes utpote idolatriæ addictæ non immolabant victimas suas nisi idolis, seu dæmoniis ut ipsa scriptura alibi testatur; ac

(a) Edit. Vallars. opp. t. I. Hoc idem argumentum egregie tractavit inter veteres s. Joan. Chrysost. in quinque orationibus adversus Judeos, ac præsertim orat V. t. I. p. 587, ed. Maurin.

PERRONE. I.

propterea de futuro tempore necessario vaticinum. accipendum est.

Ex qua generali animadversione patet absurdam esse primam expositionem, ideo nempe magnum esse Dei nomen in gentibus quod ipsæ una cum idolis ac falsis diis supremum Deum colant, cum Deus saepe adeo se Zelotem professus fuerit, ac passim decem tribus impietatis arguerit quod utrumque cultum conjungerent (a)? Falsa præterea est ejusmodi commentatio, cum causam Deus ipse aperiat quare magnum sit nomen suum in gentibus, quia scilicet a solis ortu usque ad occasum offertur *nominis suo oblationis munda, seu fertum purum* (b).

Nec minus absonta est altera interpretatio, que sumitur ab hypothesi qua Deus gentibus sacrificium sibi offerendum præcipere. Haec enim hypothetica locutio nuspianum appetit, sed Dei verba absoluta sunt, et factum enunciant.

Quominus vero Dei verba accipiamus de precibus, que est tertia expositio, vetat ipse contextus, qui est de oblatione proprie dicta non a Judæis sed a genti-

(a) Cf. lib. III. Reg. c. XVI. seqq. tum lib. IV. c. XVII. 16. seqq.

(b) Cf. Sanctum in h. l. Non posse hoc vaticinum nisi de nova lege, et ecclesiæ tempore intelligi omnes sane exegeses regula prorsus clamant. Debet enim conferri cum aliis locis in quibus prædictetur veteris fœderis, ac veteris sacerdotii levitici abolitioni una cum levitico cultu; cum locis novum sacerdotium ac prouide novum sacrificium promittentibus; ac demum cum ipso eventu, qui omnem, si qua esset, ambiguatatem in verbis prophetæ sustulit. Cum enim veteris sacerdotium plane cessaverit una cum omni sacrificiorum leviticorum apparatu, cum Christus Eucharisticum Sacrificium instituerit offerendum ubique terrarum a sacerdotibus, seu ministris ad hoc in perpetuum institutis; cum factum id evincat, quid amplius queras? Num infirmum ejusmodi argumentum evadet eo quod demum post XVI. secula infelices nonnulli hæretici, qui se protestantes veerunt veritatem hanc repudiari, quam universa christiana ecclesia tam longa seculorum serie professa est? Patres omnes hoc urgebant argumentum plane ineluctabile aduersus Judæos, ut Irenæus I. IV. adv. hæres. c. XVII. n. 5. ed. maur. Justinus M. in dial. cum Tryph. n. LII. ed. Maran. Cyprianus lib. I. adv. Jud. c. XVI. ed. maur. ut alios præteream. Placet s. Irenæi verba adducere ut pateat quoniam fuerit ante an. 202. seu initio sec. III. Ecclesiæ fides: Sed et suis discipulis, inquit l. c., dans consilium, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum, qui ex creatura panis est, accepit et gratias egit, dicens: Hoc est meum corpus. Et calicem similiiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, et N. T. novam docuit oblationem; quam Ecclesiæ ab apostolis accipiens, in universo mundo offerre Deo, ei, qui alimenta nobis præstat, primitias suorum numerum in N. T., de quo in duodecim propheciis Malachias sic præsignificavit: *Noa est mihi voluntas in vobis etc.* Manifestissime significans per hanc, quoniam prior quidem populus cessabit offerre Deo, omni autem loco offeretur ei, et hoc purum; non enim autem ejus glorificatur in gentibus. Cf. Massuetum Diss. III. art. VII. §. 80. tum Fr. L. Grafen zu Stolberg Geschichte der Religion Jesu seu historia Relig. Jesu a comite Stolberg edita P. IV. p. 166. seqq. ed. Hamb. neconon Petr. de Figueiro et Christ. Castrum in h. l. Malach.

(Trente-une.)

bus offerenda de quibus dicitur Is. LXVI. 21. « Assumam ex eis in sacerdotes et levitas. »

Ad 2. D. Levitæ seu sacerdotes ex gentibus assumpti juxta adducta Isaiae verba, C. levitæ seu sacerdotes mosaici N. Jam enim eodem cap. Malachias loquens de levitis ac sacerdotibus judaicis prædixerat eos a Messia mox futuro puniendos seu extremo supplicio tollendos; non potuit igitur de isidem sacerdotibus leviticis sermonem instituere quasi Deo essent oblati sacrificia in justitia; locutus proinde est de novis sacerdotibus a Messia instituendis qui grata Deo sacrificia oblati essent, usus est autem similitudine et imagine sacrificii Iuda et Jerusalem ut rem hanc Iudei aliqua ratione perciperent (a).

Monitum autem Malach. IV. 4. nullam creat difficultatem; nam lex mosaica tam civilis quam cærimonialis, erat omnino observanda quamdiu Hebreworum res publica et synagoga persistebant. Cum vero ex eodem propheta et ex Dan. IX. 25. utraque esset abolenda *jure* per mortem Messiae, *facto* per Jerosolymorum et templi eversionem hoc ipso innuit quid posthac de ipsa lega esset futurum. Sic neque ullam facessit difficultatem quod de Eliæ missione ante futuram Judeæ vastationem vaticinatur Malachias, eum ipsem c. III. 1. hunc ipsum fore Messiae præcursorum aperte significaverit ad præparandam viam, seu populum disponendum ad ejusdem adventum, ut patet ex v. seq. ubi addit; « Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum: ne forte veniam et percutiam terram (hebr. terram hanc seu hanc regionem יְהוּדָה) anathemate. » Quod ipsis factum esse historiæ ex qua lux vaticinio affligeret, ostendit.

II. Obj. 1. Quæ de vocatione gentium prænuntiabant prophetæ intelligi debent de cognitione veri Dei quam gentes adepturæ erant per Judeorum in universum orbem dispersionem a quibus ethni corum mentibus erat veri Dei notitia ingerenda. 2. Id plane perficietur cum gentes omnes Judeorum ditioni subiicientur duce Messia, a quo bellum imprimis erit ipsis inferendum; 3. bellum hoc deinceps perpetua atque universalis pax excipiet, in qua 4. Iudei in genti gloria aucti bonorum omnium copia et affluentia fruentur juxta prophetarum vaticinia. Non solum igitur ex gentium vocatione christiani nihil proficiunt, verum etiam talia in ea occurunt quæ aperie evincent plura adhuc esse adimplenda. 5. Nondum enim subacti sunt Gog et Magog a Messia debellandi Ezech. XXXVIII. Nondum instauratum templum cum urbe hierosolymita ibid. XL. seqq. 6. Nondum propterea completa sunt quæ a Messia præstanda vaticinata sunt prophetæ, quique ab Isaia II. 2. venturus tandem prædictus, novissimis diebus, cum nempe, ut ibid. dicitur: « Mons Domini exaltabitur super omnes colles, » aliaque ejusmodi non pauca prædicuntur quæ adhuc præstolari debemus. Ergo.

R. Ad. 1. N. Etenim ut ex ipsis quæ adduximus

(a) Cf. Ackermann Proph. min. p. 772. seqq.

prophetarum verbis constat; agitur de illa gentium vocatione qua ipsæ in Messiam credituræ erant ac per ipsum ad veri Dei cognitionem erant adducendæ per ingentem idolatriæ cladem, atque de substitutione gentium in locum rejecti populi judaici juxta illud Ps. XLVI. « Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham » (a). Etsi vero Iudei ante Hierosolymorum excidium per universas fere terras dispersi essent assyriorum, persarum ac romanorum, gentem tamen nullam ad Dei cognitionem adduxerunt, multo minus populis inter quos inhabitabant suaserunt ut idolatriæ nuncium remitterent.

Ad 2. N. suppositum ab ipsis assumptum de gentibus ditioni Judeorum subigendis. A falsa haec persuasione Deus non uno in loco Judeorum animos abducere, ac retrahere per prophetas suos numquam destiterat. Admonuit enim Israelitas reduces a captivitate quem ipsi præstolabunt Messiam venturum minime esse prout falso animis suis conceperant, nempe ad subigendas gentes, sed ad Judeos querulos et blasphemantes puniendos (Malach. III. 1. seqq.). Dispersum iri judaicum populum (Dan. IX. 23. seq.) prædict. Coatra vero gentibus propitium Messiam fore sepe prænuntiavit, sic Zach. IX. 10. de eo dicitur « Loquetur pacem gentibus » Isai. XLII. 6. de eodem ait Dominus « Dedi te in fœdus populi, et in lucem gentium » et C. XI. 10. « Radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur. » Perpetuo exhibetur Messias ut *expectatio gentium* (Gen. XLIX. 10.) ut « desideratus cunctis gentibus » (Agg. II. 8); quanam igitur ratione bellum illatum erit gentibus? Idolatriæ nempe destructione. Sane si de belli genere ex genere armorum judicium ferendum est, cum hæc exhibeantur spiritualia, spirituale erit profecto bellum quod Messias ager. Hinc Isai. XI. 4. « Percutiet, inquit, terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium: et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus. » Nec aliud apparatus bellicus esse poterat regis pauperis et humilis (Zach. I. c.) despeti et occidendi (Is. LIII).

Ad 3. D. Spiritualis in interna scilicet conscientia tranquillitate posita, C. temporalis N. Etenim si pax bellæ est fructus, bellum autem ex dictis est spirituale, spirituale et pacem fore necesse est.

Ad 4. D. Si Messiam accepissent, vel cum eum recipient et agnoscant Tr. hoc neglecto ac rejecto N. Nisi potius præstet hæc de regno Messiae spirituali intelligere seu de ejus ecclesia quam sub sensibili bus symbolis prophetæ ac vivacissimis imaginibus depingunt (b). Quod si placet hæc litteraliter acci-

(a) Plura in hanc rem testimonia congesit Euseb. Demonst. evangel. lib. X.

(b) Recentiores biblii protestantes contendunt illis vaticiniis describi seculum aureum regni Messiani. Verum hæc expositionis ratio carnalis ac judaica est, neque componi potest cum ceteris, quæ de Messia ejusque regno, neimpe ecclesia, prophetæ vaticinantur. Eventus sane ostendit non alium sensum preter spirituale vaticinia illa admittere posse.

pere, non abnuimus in hypothesi quod Iudei verum Messiam agnoverint, vel quando, ut nonnulli sentiunt, in fine seculorum ad ipsum convertentur. Apposite Grotius « Multa, inquit, Hebreis promisit Deus, si Messiam promissum recipieren, eique parent: quæ si non eveniunt, habent ipsi, quod sibi impudent. Quædam vero etiam definite et sine conditione promissa, si implata nondum sunt, adhuc possunt expectari. Constat enim, etiam apud Iudeos, tempus, sive regnum Messiae, durare ad finem seculorum » (a).

Ad 5. Tr. Nondum enim exploratum est quid per cladem Gog et Magog Ezechiel intenderit. Tot pene circa ejusmodi vaticinium numerantur sententie quot interpretæ non solum apud Christianos verum etiam apud Hebreos. Alii de scythis, alii de persis, alii de syris etc. illud explicant; alii ad Antiochum Epiphænum referunt, ut Grotius; alii ad Cambysem, ut Calmet: alii symbolice volunt accipiendum de victoria justorum super impios (b). Cum igitur omnia sint incerta que ad ejusmodi vaticinium spectant; si quis deserat clara et determinata vaticinia ut sibi ex incertis difficultatem crevit, is perinde facit ac qui oculos a luce avertit, et tenebras umbrasque consequatur.

Eadem viget discrepantia sententiarum circa hanc de templo Ezechieli visionem, idem propterea de ea ferendum est iudicium (c).

alioquin minime fuissent completa. Ceterum etiam exterior ecclesiæ majestas et amplitudo talis est ut eidem aptari possint figura illæ quibus eam prophetæ adumbrarunt.

(a) De verit. religionis I. c.

(b) Longa nimis res esset velle omnes tum Hebreworum tum Christianorum interpretum sententias percensere, atque nullius frugis. Dissensio enim est circa nomina gentes, fata quæ eisdem adscribuntur. Recentiores videntur acquiescere Michaelis, qui censem designari scythas. Ceterum s. Jo. Apocal. XX. quæ Ezechiel de Gogi molimibis et clade prædixerat ulterius ad extream mundi ætatem distulit. Hinc non præcui autumant hic agi de personis mysticis seu symbolicis, ita ut capp. XXXVIII. et XXXIX. pollicetur Deus, se pios suos cultores ab hostiis potentissimorum ac ferociissimorum impetu sartos testos servaturum, eosque suo præsidio custodiaque protecturum. Eam vero promissionem ad Christianos pertinere eatenus, quatenus ipsi sunt veri Dei cultores. Cf. Rosenmüller Schol. in V. T. ad Ezech. c. XXXVIII.

(c) Diversas has sententias veterum ac recentiorum collegit cum suis auctoribus Rosenmüller in prologo ad cap. X. Ezech. Alii contendunt describi emblem Salomonicum, alii Zorobabelicum, alii ideale, alii symbolicum ac mysticum; alii in sensu litterali intelligendum prophetam volunt, alii tantum in sensu spirituali, alii denique parim litterali partim spirituali. Quidquid sit nihil certi affirmari potest. Strenuam operam navavit in templi Ezechieli formam et amplitudine describenda cum suis partibus etc. Jo. Bapt. Villalpandus in op. cui titulus: « De postrema Ezechieli propheta visione Jo. Bapt. Villalpandi, Cordubensis et Soc. Jesu tomi secundi explanationum pars secunda, in qua templi, ejusque vasorum formam commentariis, tum æneis quamplurimis descriptionibus exprimitur » pagg. 655. form. max. accessit et tomi III. apparatus Urbis ac templi hierosolymitanus pars. I et II., Jo. Bapt. Villalpandi Cordub.

(d) Observat Kimchi ad h. I. formulam *dies postremos* seu *novissimos* ubiunque ea occurrit, indicare tempora Messiae. Cf. Jerem. XXIII. 20. Joel. III. 1. seqq. etc.

(e) Genes. XVII. 7. et al.

(f) Ex. XII. 14. et alibi passim.

Ad 6. D. Perperam intellecta C. in sano sensu et cum ceteris vaticiniis collata N. « Multa in saeculari litteris, ut rursus Grotius ait, non ex proprietate verborum, sed figura quadam esse intelligenda, ne ipsi quidem Iudei ignorant; ut cum Deus descendisse dicitur, cum ei os, aures, oculi, narines tribuuntur. Quidam ergo hunc in modum explicemus et pleraque de Messiae temporibus dicta? Qualia sunt, lupum cum agno, pardum cum hædo, leonem cum ove stabulatum; lusurum cum anguis infantem, montem Dei surrectum supra montes alios, in montem Sion venturus alienigenas, ut sacra faciant (a)? »

Per *novissimos* autem *dies* tum ab Isaia tum a ceteris prophetis significari ultimam ætatem, seu ævum Messiae, seu in genere *dies Messiae* unanimiter tradunt Iudei, quocumque demum tempore hi dies venerint (b).

III. Obj. Perperam christiani judaicam gentem aliquando a Deo reiciendam fuisse existimant, aut abolidendum fœdus quod Deus per Moysem cum populo fieri. 1. Etenim Iudei posteri populus Dei peculiaris dicuntur ipsi unitus fœdere sempiterno (c). Passim lex mosaica perpetuo duratura exhibetur (d).

2. Quod si Hebrewi illam transgressi fuerint paterna quidem correptione, minime vero fœderis rescissione aut abolitione puniendi dicuntur, quin potius si respuerint expresse iterato promittitur ab extremis terræ ad eum cunctis populis in quos fuerint dispersi congregandos fore (Deut. XXX. 2. seqq.) ac revocandos. 3. Præsens propterea captivitas in poenam utique peccatorum Israelitici populi contigit, 4. sed hoc ipso ostendit Deus peculiariter providentiam qua eum servat, et amorem quo populum prosequitur; quos enim Deus diligit, arguit et castigat, 5. alias Iudei deterioris conditionis forent, quam ejusmodi impiorum homines, qui in hac et in altera vita poenam lauant. 6. Cum igitur satis a Deo puniti fuerint, soluta captivitate, ad patrium solum Iudei revocabuntur juxta divinas pollicitationes. Ergo.

e. Soc. Jesu collato studio cum H. Prado ex eadem Soc. » Roma 1604. pagg. 547. De eodem argumento scripserunt Ludov. Compiegne de Vejel ex Iudeo Christianus, Matthias Hafemreßerus Tubingensis, Campiegius Vitringa, Coccejus, Sturmius, Meyerus, Blasche etc.

(a) Non esse immutandum naturæ ordinem adveniente Messia antiquiores Iudei pro certo habebant, et saepè occurrit in ipsorum libris presertim in tract. Sanctedrin apud Ugolini t. XXV. sed præterea in lib. Sohar Exod. fol. 93. col. 578. que hic legitur Is. II. 2. exponit sensu spirituali. Cf. Schottgen de Messia p. 169. Idem traditur in Pesikta rabbati fol. 62. 1. seqq. ib. p. 128. et alibi saepè totum exponit de Messia. Quare non est hæc arbitraria christiana interpretatio. Cf. ib. p. 241. 503. 599. 600. 626. etc. et Jo. Frischmuthi dissertat. de Evangeliō in Sione egressuro ad Is. II. 1. seqq. in Thesaurus theol. philol. tom. I. p. 685. seqq.

(b) Observat Kimchi ad h. I. formulam *dies postremos* seu *novissimos* ubiunque ea occurrit, indicare tempora Messiae. Cf. Jerem. XXIII. 20. Joel. III. 1. seqq. etc.

(c) Genes. XVII. 7. et al.

(d) Ex. XII. 14. et alibi passim.

R. N. A. Ad 1. prob. D. Id est usque ad Messiae adventum quem lex præfigurabat et ad quem velut pedagogus duebat, C. absolute N. Hinc sèpius Deus admonet, veteri rescisso, novum ac æternum fœdus priori illo ac temporaneo longe præstantius ferendum esse cum Israele fideli, ita Jerem. XXXI. 31.

Ecce dies venient dicit Dominus, et feriam domui Israël et domui Iuda fœdus novum: non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum... pactum quod irritum fecerunt etc. tum Is. LV. 3. Feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus etc., ubi apertum est sermonem esse de Messia, ipsis fatentibus Judæis (a) ac de gentibus in idem pactum adscendens.

Ex his responsio patet ad ea quæ subiectantur de lege mosaica, quæ hoc sensu potest dici æterna, quatenus suum adimplementum et perfectionem in futuro Messia ejusque regno adeptura erat (b).

Ad 2. N. Imo prorsus contrarium constat ex prophetarum effatis que adduximus, quibus addi debet ex Osea c. I. 9. III. 4. ubi sub symbolo filii cui iubetur nomen indere. Non populus meus, et sub symbolo mulieris fornicariæ diu expectant exhibetur populus Israel absque Deo suo. Quæ autem allata sunt ostendunt non fore perpetuam rejectionem filiorum Israel, ac futurum aliquando tempus quo ad Deum ac missum ab eo Messiam ipsi convertantur, quod libenter damus imo et profitemur (c). Tunc suum complementum habebunt crebra illa vaticinia de filiis Israel et Iuda sub uno David rege suo pace fructuris (d), ac ceteris, quæ ipsis promittuntur bonis.

Ad 3. D. Et præterea rejecti Messiae, ut inferius mox ostendemus, C. quorūcumque peccatorum N. Nec enim levioribus olim peccatis Judei se commulaverant, ut ex prophetis constat qui eis perpetuo

(a) Cf. Raym. Martini p. 782. seqq. ed. Carpz. nec non p. 885. seqq., toto cap. XX. III. p. dist. III. cum observat. de Voisin.

(b) Cf. Grot. op. cit. lib. V.

(c) Cf. Ose. III. 5. ubi Deus comminationum acerbitudinem temperat meliorum temporum præmissione. Quare ib. promittit quod post multos illos dies revertentur Judei ad Dei cultum desertis superstitionis religionibus ac ritibus, et quidem submissio animo gratiam querent, serioque ac sincero studio Deum colent. Nullum vero dubium esse potest aliquando Iudeos conversum iri ad religionem christianam juxta Apostoli predictionem Rom. XI. 11. seqq.

(d) Quoniam defectio-Israelitarum a vero ac sincero cultu Dei coniuncta olim fuerit cum defectione a Davide, rege divinitus instituto, ejusque familia (III. Reg. XII. 6), ad emendationem illam, qua cit. loc. describitur, omnino pertinebat, ut hac etiam ex parte ad officium redirent; hinc additur et ad David regem suum. Quia formula innuitur, Israelitas conjunctus fore sub uno rege ex Davidis prosapia oriundo; quo Messiam spectari nulla est dubitatio, ut pariter legitur Ezech. XXXIV. 25. XXXVII. 24. Jerem. XXX. 9. hinc chaldaeus paraphrastes haec verba cum iis, quæ proxime præcedunt ita reddidit: Querent colum Domini Dei sui, atque obediunt Messia filio David, regi suo. Ac talis est unanimis Iudeorum omnium sententia. Cf. Resenmüller in I. c. Osea, et Ezech.

exprobant adulteria, farta, homicidia aliaque infanda facinora, præsertim vero scelus adeo frequens atque commune idolatriæ de quibus in præsentium vix accusantur; attamen Deus numquam destitit ab eis speciali quadam providentia prosequendis, imo minas et promissa, poenas ac præmia adhibens, ostendit se peculiarem de iis curam gerere. Neque ultra LXX. annos illos in captivitate detinuit, ac interim certiores saepe eos fecerunt de reditu, misit ad illos prophetas, qui eos solarentur, fidem miraculis excitavit ac vaticiniis. Ex quo vero iterum templum cum urbe Hierosolymorum eversum est, etsi saepe jejuniis se macerent, preces enizas ad Deum fundant, peccata confiteantur etc., non secus ac si Deo essent destituti, nullo solatio, nulla spe, nullo subsidio soventur. Restat præterea invictum argumentum de scelere quo universa gens destinatur graviori ipsa idolatria, ob quod antiquum fœdus vere abolidum est atque discessum (a).

Ad 4. D. Si ageretur de singulis individuis ac pena amore mixta, C. si de tota multitudine, seu massa, ut dicitur, N. Aliud nempe ferendum est judicium de pena quæ singula individua afficit, aliud de ea, quæ totam afficit multitudinem ac integrum populi massam. Etsi enim verum est interdum populum integrum puniri ob privatorum peccata, præsertim si ista frequenta ac publica sint, neque expiata, attamen ejusmodi penæ ut plurimum non sunt nisi partiales ac temporarie, imo et extraordinariae, cum juxta providentia ordinariae ordinem in illos cadat pena qui delinquunt. Contra vero si punitio afficiat tam multitudinem et jugiter perseveret, ut ordinaria censeri possit, dicendum totam multitudinem aliquo crimen teneri quod omnibus communis sit, sive quod delictum sit multitudinis. Talis autem est punitio, quæ totam judaicam gentem afficit, spectata præsertim publica et ordinaria providentia, quam Deus erga hunc populum licet gravissimis ac publicis criminibus idolatriæ imprimit obstrictum per tota secula ostendit. Hinc in tota illa temporis periodo quæ a Moysi usque ad extremam Solymorum cladem intercessit, licet spectare correctionem patris amadvertis in filios, cum toto illo tempore amor et gratia jugiter mitigaverint severitatem; ast in alia periodo, quæ deinceps subsecuta est, omnia spectare licet signa Dei punientis reos ut judicis, quidquid de privata ac secreta ejus agendi ratione sit cum ejusdem gentis individuis (b).

Ad 5. D. Quatenus populus, C. quatenus individua N. Nam hominē singillatim sumptu rationem reddent de peccatis propriis, ac præterea juxta diversam uniuscujusque mensuram quilibet a Deo poenam quam fuerit promeritus accipiet, ac pro majori vel minori malitia, quæ divinae gratiae restiterit.

Ad 6. D. Cum se converterint verum Messiam agno-

(a) Cf. Derossi op. cit. c. II. §. XXV. seqq. pag. 61. seqq.

(b) Cf. Limborch. in amica collat. c. VI. in resp. ad tertium Scriptum Orobii p. 251. seqq.

scendo, Tr. antequam convertantur N. Transmisimus primum distinctionis membrum, cum nihil adhuc exploratum sit circa sensum quo accipi debeant divinæ illæ pollicitationes quæ statum Israelitarum spectant post ipsorum conversionem (a). Alterum vero jure negavimus cum divina oracula durationem dispersionis judaicæ aperte protrahant usque ad generalem illorum conversionem. Quid postea de integratione ad fidem conversa futurum sit, Deus novit. Interim ex ipsis iugi conservatione non pauca emolumenta in christianam religionem proveniunt. Inde enim habemus testes de scripturarum V. F. ac præsertim vaticiniorum, quæ Messiam spectant authenticitatem (b); vivum inde ac juge documentum habemus divinæ in nos misericordie, ac severitatis et divinæ justitiae in Judæos (c); ineluctabile demum inde habemus testimonium divinitatis religionis christianæ, ac divinæ revelationis ex iugi vaticiniorum adimplemento: quod nulli cavillationi ac subtilati subest incredulorum hominum.

### CAPUT III.

#### De Jesu Nazareno vero Messia.

Si Messias jamdiu venit, quod hucusque disputata invictissime ostendunt, reliquum est ut inquiramus, quinam sit. Hic autem alias esse nequit nisi ille unus in quem tum epochæ promissi Messiae a prophetis definita; tum ejusdem characteres et nota apprime convenient, tum denique qui officia ac munia Messiae propria obivit. Hunc porro alium non esse nec esse posse nisi Jesum Nazarenum ostendere aggredimur. Cum vero Orobius et cum ipso Salvador contendant jure Christum Jesum et ex legis præscripto fuisse ultimo supplicio affectum, cogimur præterea Christi causæ vindicias sumere, ac simul ostendere necem Christo illatam novum esse argumentum quo Messiae

(a) Hoc spectant judaizantium hypotheses de regno millenario quas denuo præter nonnullos catholicos excitarunt protestantes non pauci. Cf. de hoc arguento Muzzarelli Diss. select. Romæ 1807. Dissert. tercia de regno millenario Christi visibiliter convertantis in terra, neeon P. Mamachii De animabus iustorum Romæ 1766. T. I. p. 26. seqq.

(b) Quod saepe animadvertis s. Augustinus, præsertim Enarr. in Ps. LVI. n. 9. ubi inter cetera haec scribit: Dispersi sunt per omnes gentes. nusquam habentes stabilitatem, nusquam certam sedem. Præterea autem adhuc Judæi sunt, ut libros nostros portent ad confusionem suam. Quando enim volumus ostendere prophetatum Christum, proferimus paginas istas litteras. Et ne forte dicant dari ad fidem, quia nos illas christiani composuimus, ut cum Evangelio quod predicamus finixerimus prophetas, per quos prædictum videretur quod predicamus, hinc eos convincimus, quia omnes ipsæ litteræ quibus Christus prophetatus est, apud Iudeos sunt, omnes ipsæ litteræ habent Judæi. Proferimus codices ab inimicis ut confundamus alios inimicos... Codicem portat Judæus, unde credit christianus. Librarii nostri facti sunt quomodo solent servi post dominos codices ferre, ut illi portando deficient, illi legendo proficiant.... Sic enim apparent Judæi de Scriptura Sancta quam portant, quomodo appetit facies cœci de speculo; ab aliis videtur, ab ipso non videtur. Et alibi passim eadē repetit.

(c) Rom. XI. 22.

nomen ac dignitatem è dem maxime competere evincentur.

**PROPOSITIO I.** — *Jesus Nazarenus verus Messias est in Scripturis promissus atque a Judæis expectatus.*

In Jesu Nazareno tria illa plenissime adimplenta sunt quæ nuper recognoscimus, epochæ, note et munia promissi atque expectati Messiae. Ergo Jesus Nazarenus est verus Messias in scripturis promissus atque a Judæis expectatus.

Ac primo quidem ad epochas quod attinet, ex dictis istæ omnes desinunt in Urbis templique vastationem, ac cetera quæ eam subsequi debeant, sacrificiorum nempe, ac sacerdotii cessationem, antequam plane tolleretur civilis potestas e populo iudeo. Jam vero Christus Jesus sub ejusmodi tempus in mundum venit, fatiscente atque ad finem properante Judæorum republica sub Herode patre idoneo ac matre ascalonitide. Venit circa exitum LXX. hebdomadum Danielis, ita ut in fine hebdomadæ LXIX. et initio hebd. LXX. publicam sui fecerit manifestationem, ac in medio hujus postremæ hebdomadis occidetur sit (a); venit ante Urbis ac templi direptionem, ac sacerdotii Aaronici et legalium sacrificiorum cessationem, quæ omnia paulo post ipsius mortem subsecuta sunt. Venit nempe ea ætate qua constans apud Hebreos et vicinos sicut opinio illis temporibus expectandum esse Messiam (b). Ergo epochæ promissi Messiae in Jesu evidenter conspirant.

Verum conspirant præterea in ipsum characteres et nota Messianæ. Jesus enim ex tribu Iuda ac familia David origine traxit: a Virgine matre ortus juxta Isa. VII. 14. (c) atque in civitate Bethlehem prout predixerat Michæas V. 2. pauperem et humilem vi-

(a) Hoc tum ex dictis cum ageretur de vaticinio Danielis patet, tum clarius adhuc patebit ex inferius dicendis.

(b) Cf. Jahn. in cit. Appendice hermeneutæ fasc. I. p. 4. ubi recte observat spem venturi Messiae ætate Christi fuisse vulgarem, prout evincent omnia illa N. F. loca in quibus referunt Jo. Baptista, Jesus, et ejus discipuli annunciantes adpropinquare regnum cœli, seu Dei, mox ab omnibus fuisse intellectos, quin ulla quaestio moveretur, quidnam istud sibi vellet. Nec solum generatim aliquando, sed etiam illa præcisæ ætate venturus expectabatur promissus olim Messias prout clare eluet ex evangelistis narrantibus quod modo Joannes, modo Jesus a plerisque creditus fuerit Elias præcursor, quin etiam ipse Messias Matth. XVI. 14. 17. X. 15. Marc. VI. 15. VIII. 23. IX. 11. 15. IV. 20. Non erat haec vaga plebis duntaxat opinio, sed ipsum quoque supremum nationis tribunal, synedrium dictum, legatione missa ad Jo. Baptista eandem sententiam prodit Jo. I. 19. 28. cf. Jo. X. 24. Math. XXVI. 63. Marc. XIV. 61. Insper Simeon ille senex, eruditus et Rabbi celeberrimus fortasse idem, qui in Talmude *justus*, et pater Gamalielis salutatur et a Flav. Josepho Archæol. XIV. 9. 4. XV. I. 10. sub nomine Sameas ab acceptis divinis revelationibus laudatur Luc II. 25. 32. divinitus edocet fuisse refertur se adhuc vivente Messiam nasciturum. Ut reliqua documenta alias allata prætereant.

(c) De hoc pariter vaticinio ex professō agenüs in altera tractatus parte.